



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

9 De gloria Beatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

ganorum fieret poena minus sensibilis, sed agunt in corpora damnatorum actione spiritali, improprie suas qualitates in corporib. damnatorum secundum esse spirituale per modum quo spes colorum est in aere, vel etiam in pupilla, non ita quod fiant colorata. unde de corpora damnatorum sentiet afflictionem ignis sine hoc, quod conuertantur in naturam ignis, & ideo varietas poenarum non faciet eis aliquid refrigerium. Refrigerium enim nunc ex alteratione poenarum proueniens causatur ex transmutatione naturae, in quantum per frigus aquae superfluitas calefactionis remittitur, & sic ad medium venit, quod est delectabile.

QV AESTIO IX.

**D**EINDE quærebatur de gloria beatorum. Et circa hoc quaruntur duo. **¶** Primo, Vtrum beatitudo sanctorum per prius consistat in intellectu quam in affectu, vel econuerso. **¶** Secundo, Vtrum per prius beati ferantur ad uideum humanitatem Christi quam eius diuinitatem.

ARTICVLVS XIX.

*Vtrum beatitudo sanctorum præcipue consistat in intellectu.*

**A**D PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod beatitudo sanctorum præcipue consistat in intellectu. Sicut enim dicit Augustinus. decimo confess. Beatitudo est gaudium de ueritate: sed ueritas pertinet principaliter ad intellectum. ergo & beatitudo.

**¶** 2. Præ. Io. 17. dicit. Hæc est uita æterna, ut cognoscatur solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum: cognitio autem ad intellectum pertinet. ergo & uita æterna, siue beatitudo.

**¶** 3. Præ. Aug. dicit. 1. de trin. Quod uisio est tota merces: merces autem est beatitudo. ergo pertinet principaliter ad uisionem intellectus.

**S**ED CONTRA. Præmium respondet merito: sed meritum principaliter consistit in uoluntate, ergo & beatitudo quæ est præmium.

**R**ESPON. Dicendum, quod felicitas, siue beatitudo in operatione consistit, & non in habitu, ut philosopho. probat in 1. eth. Unde beatitudo hominis potest comparari ad aliquam potentiam animæ dupliciter. Vno modo, sicut obiectum potentie, & sic beatitudo præcipue comparatur ad uoluntatem. Nominatur enim beatitudo ultimum finem hominis, & summum bonum ipsius. Finis autem & bonum sunt obiectum uoluntatis. Alio modo, sicut actus ad potentiam, & sic beatitudo originaliter & substantialiter consistit in actu intellectus: formaliter autem & completiue in actu uoluntatis, quia impossibile est ipsum actum uoluntatis esse ultimum finem uoluntatis. Vltimus enim finis hominis est id quod est primo desideratum. Non autem potest esse quod primo uoluitur sit actus uoluntatis. Prius enim est potentia ferri in aliquod obiectum, quam quod feratur super actum suum. Prius enim intelligitur actus alicuius potentie, quam reflexio eius super actum illum. Actus enim terminatur ad obiectum, & ita qualibet potentia prius fertur in obiectum quam in actum suum, sicut uisus prius uidet colorem, quam uideat se uidere colorem: & ita uoluntas prius uult aliquid bonum, quam uelit se uelle, & per actus uoluntatis non potest esse primo uoluitum, & per

4. di. 49. q. 1. art. 1. q. 2. o. 2. 12. q. 3. ar. 4. 9. c. 11. c. 2. 60.

1. p. q. 2. a. 2. ad 2. & 3. q. 3. ar. 2. & q. 11. ar. 1. ad 2.

**A** consequens nec ultimus a finis. Sed quotiescumque aliquid bonum exterius est desideratum quasi finis, ille actus noster est nobis quasi finis interior, quo primo perfecte attingimus ad ipsum: sicut dicimus, quod comestio finis est, & beatitudo eius quod ponit cibum finem suum, & possessio eius qui finem suum ponit pecuniam. Finis autem nostri desiderii Deus est, unde actus quo ei primo coniungimur, est originaliter & substantialiter nostra beatitudo. Primo autem Deo coniungimur per actum intellectus, & ideo ipsa Dei uisio, quæ est actus intellectus, est substantialiter & originaliter nostra beatitudo: sed quia hæc operatio perfectissima est, & convenientissimum obiectum, ideo consequitur maxima delectatio, quæ quidem decorat operationem ipsam, & perficit eam, sicut pulchritudo uenturæ, ut dicitur 10. eth. unde ipsa delectatio quæ uoluntatis est, est formaliter cõplens beatitudinem, & ita beatitudinis ultimæ origo est in uisione, complementum autem in fruitione. Tres ergo primæ rationes concedendæ sunt, quia ostendunt, quod beatitudo substantialiter consistat in actu intellectus.

**B** Ad illud autem quod contra obicitur, dicendum, quod meritum consistit in agendo, præmium autem in recipiendo. Actio autem primo pertinet ad uoluntatem, quia ipsa mouet omnes alias uires: sed receptio primo pertinet ad intellectum quam ad uoluntatem, unde præmium per prius attribuitur intellectui, meritum autem uoluntati.

**C** Ad illud autem quod contra obicitur, dicendum, quod meritum consistit in agendo, præmium autem in recipiendo. Actio autem primo pertinet ad uoluntatem, quia ipsa mouet omnes alias uires: sed receptio primo pertinet ad intellectum quam ad uoluntatem, unde præmium per prius attribuitur intellectui, meritum autem uoluntati.

ARTICVLVS XX.

*Vtrum beati in gloria prius ferantur ad contemplandam Christi diuinitatem, quam eius humanitatem.*

**C**IRCA secundum sic proceditur. Videtur, quod beati in gloria prius ferantur ad contemplandam Christi diuinitatem, quam eius humanitatem. Altissimo enim statui altissimus actus primo & principaliter competit: sed beati sunt in statu altissimo, cum ergo actus intelligentie, quæ est potentia altissima, cuius est ferri in Deum, sit actus altissimus & nobilissimus, uidetur quod hic actus primo beatis competat, ut Deum contempletur.

**¶** 2. Præ. Hoc ad imperfectionem uie pertinet quod oportet nos ab inferioribus ad superiora contemplanda descendere: sed in beatis erit perfectio contraria imperfectioni uie. ergo ipsi econuerso per prius superiora contemplantur, & sic primo Christi diuinitatem, quam eius humanitatem.

**S**ED CONTRA. Ad extremum non peruenitur, nisi per medium: sed medium inter Deum & homines est Christi humanitas. 1. ad Timot. 2. Mediator Dei & hominum homo. Christus Iesus. ergo sancti non perueniunt ad contemplationem diuinitatis Christi, nisi prius contemplando eius humanitatem.

**R**ESPON. Dicendum, quod unusquisque prius considerat illud quod est ratio alicuius, quam id, cuius ratio est, sicut artifex prius considerat regulam operis, quam secundum regulam operetur. Beati autem adeo sunt Deo coniuncti, ut ipse sit eis ratio cuiuslibet cognitionis & opis. Aliter. n. actus beatitudinis per alias cognitiones & operationes sanctorum impeditur: & ideo illud ad quod sancti primo attendunt, est ipse Deus, & cum habeat medium cuiuslibet cognitionis, & regulam cuiuslibet operationis, & sic per prius contemplantur diuinitatem Christi. Quodlib. S. Tho. H 2 sti,

D. 621.

D. 271.

cap. 4.

si; quam eius humanitatem. In vtraque tamen cō-  
templanda delectationem inveniunt, unde dicitur Io.  
10. Ingredientur, & beati, ad contemplandam diu-  
nitatem Christi: & egredientur ad contēplandam  
eius humanitatem, & vtrobiq; pascua inuenient,  
id est delectationem, ut exponitur in libro, de spiri-  
tu & anima.

Duas ergo primas rationes concedimus.

Ad illud quod contra obiicitur dicendum, quod rō  
illa procedit quantum ad statum viae, in qua non-  
dum sumus Deo perfecte cōiuncti: sed oportet nos  
ad Deum per Christū accedere, sed cum iam Deo  
in beatitudine cōiuncti erimus, per prius intende-  
mus Christi diuinitati, quam eius humanitati.

¶ Finit quodlibet octauum.

INCIPIT QVOLIBET  
NONVM.

QUESTIO PRIMA.



VAESITVM est primo de capite Chri-  
sto, deinde de membris. De Christo,  
quaesitum est tripliciter.

¶ Primo, Quantum ad naturam di-  
uinam.

¶ Secundo, Quantum ad unionem humanæ na-  
turæ ad diuinam.

¶ Tertio, Quantum ad species, sub quib. in sacra-  
mento altaris continetur.

ARTICVLVS I:

Vtrum Deus possit facere infinita esse actū.

1. p. q. 25. ar.  
3. o. & 5.

Circa primum quarebatur, utrum Deus possit  
facere infinita esse actū. & uideretur quod non.  
Deus enim potest facere aliquid maius omni eo  
quod facit, quia eius potentiam non adæquat opus  
ut dicit Hugo de S. Victo. sed infinito in actu non  
potest esse aliquid maius, ergo nō potest esse quod  
Deus faciat infinitum in actu.

ar. 216. a. l. p.  
q. 26. a. 3. ar.  
160. ad 4.

SED CONTRA. Deus potest plus facere, quam  
homo possit dicere, vel cogitare, secundum illud Lu-  
ce 1. Nō erit impossibile apud Deum omne uerbum:  
sed homo potest dicere esse infinitum in actu, & et  
cogitare, cum quidam philosophi hoc posuerint,  
ut patet in 3. phisic. ergo Deus potest facere infini-  
tum in actu.

Tex. cō. 37.

RESPON. Dicendum, quod cum dicitur, Deum nō  
posse aliquid facere, hoc non est pp. defectum di-  
uinæ potētiae, sed pp. impossibilitatem que im-  
portatur in facto. Quod quidem contingit dupli-  
citer. Vno mō, quia repugnat facto in quantum est  
factum, sicut dicimus Deum non posse facere ali-  
quā creaturam que se in esse conseruet, quia ex hoc  
ipso quod res aliqua ponit habere superiorem, ponit  
etiam indigere conseruatore, eūdem sit causa esse  
di rem, & cōseruans rem in esse. Alio modo, quia  
repugnat huic facto in quantum est hoc factum, sicut  
si dicamus, Deum non posse facere equum rōnale  
esse. Esse enim rationale, quāuis nō repugnet facto  
in quantum est factum, tñ hoc factum, scilicet esse rōnale  
repugnat omni equo in quantum est equus, in cuius  
definitione cadit irrationale. Quidam autem  
dicunt, quod Deus nō potest facere esse infinitum  
in actu, quia esse infinitum repugnat facto inquan-  
tum est factum. Est enim contra rationem creature,

vt creatorem adæquet, quod oportet ponere, si es-  
set in aliqua creatura infinita. Infinitum enim infi-  
nito maius non est: sed illud non uideretur rationa-  
biliter dici. Nihil enim prohibet illud quod est in-  
finitum per unum modum superari ab eo quod  
est infinitum pluribus modis: sicut si esset aliquod  
corpus infinitum secundum longitudinem, fini-  
tum uero latitudine, esset minus corpore longitu-  
dine & latitudine infinito. Dato autem quod Deus fa-  
ceret aliquod corpus infinitum actu, corpus quod  
hoc esset infinitum quantitate dimensionum, sed de  
necessitate haberet naturam speciei terminatā, &  
esset imitatum ex hoc ipso, quod esset res natura-  
lis, unde non esset equale Deo, cuius esse & essen-  
tia est modis omnibus infinita. Alij uero dicunt,  
quod esse infinitum in actu secundum aliquem mo-  
dum non repugnat facto, in quantum factum, ne-  
que huic facto in quantum est hoc factum quod est  
ens in actu: aliquo uero modo repugnat enim in ac-  
tu esse infinitum. Et hec est opinio Almagelis. Di-  
stinguit enim duplex infinitum, scilicet infinitum per  
se, & infinitum per accidens, cuius distinctionis in-  
tellectus hinc accipi potest, quod cum infinitum prius  
paliter in quantitate inueniatur, ut dicitur in 3. phisic.  
quantitas in qua infinitum consistit, habeat tamen  
multitudinem, cuius unaquaque pars ab altera de-  
pendeat, & certum ordinem habeat, ita quod una  
quaque pars illius multitudinis requiratur per se,  
tunc infinitum in tali quantitate consistens dicitur  
infinitum per se: sicut patet in hoc quod baculus  
mouetur a manu, manus a lacertis & neruis qui  
mouentur ab anima: quod si in infinitum proced-  
unt, ut sanima ab alio moueatur, & sic deinceps  
in infinitum, uel baculus aliquid aliud moueat, &  
sic deinceps in infinitum, erit multitudo illorum  
mouentium & motorum per se infinita. Si uero  
quantitas in qua consistit infinitum, resultet ex ali-  
quibus pluribus, qui eundem ordinem seruent, &  
quorum numerus nō requiritur nisi per accidens,  
tunc erit infinitum per accidens: sicut si aliquis fa-  
ber cultellum faciat, ad cuius constitutionem mul-  
tis martellis indigeat, ex hoc quod vnus post alium  
frangitur, & vnus succedit in locum alterius eiu-  
dem ordinem tenens, si talis multitudo in infini-  
tum excreseat, dicitur infinitum per accidens, &  
non per se. Accidit n. fabrilii operi martellorum in-  
finita multitudo, cum per vnum martellum si dura-  
ret, æqualiter posset expleri sicut per infinitos. Di-  
citur ergo quod infinitum per se repugnet quod  
est esse in actu, eo quod oportet in his que per se  
ordinem habent, compleri postremum, nisi per  
comparationē quodammodo omnium priorum:  
& sic ad unum constituentū requireretur infinitum  
rum ordinata influentia, si esset aliquid infinitum  
per se, & ita nunquā posset compleri, cū infinita nō  
sit transire: sed infinitū per accidens in eos nō re-  
pugnat ei quod est esse in actu, cum una pars mul-  
titudinis ab altera nō dependeat, unde sicut hoc in-  
hil prohibet esse infinitum in actu, sicut Alg. dicit  
in sua met. aias rōnales hominum defuncto uel esse in-  
finitas in actu, eo quod ponit generationem hominum  
ab æterno fuisse, et aias post mortē corporū remi-  
nere, & sicut hanc opinionē Deus posset facere infini-  
ta, uel infinitū in actu, et si nō inueniat in natura  
infinitū in actu. Sed ecōtra Cōm. 3. met. dicit, quod in  
actu esse nō potest infinitū per se, neque infinitū per  
accidens. In potētia uero inuenit infinitū per accidens,  
sed nō infinitū per se, & sic sicut esse infinitū ei-  
no repugnat ei quod est esse in actu, & hoc uerū esse  
uidetur.